



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

Festum S. Angeli Custodis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

unam omnis orbis æmulatur. Rectè porrò nos faciemus, si in ferculum DEO nostro non aurum, aut argentum modò, sed quod magis amat, oculos, linguam, pectus, cor adeò commodabimus. *Ex hist. revel. Inst. vener. Sacram.*

*Christiane, qui se hìc tibi manducandum dedit, quid tibi denegare poterit in futurum? & qui tantum tibi viaticum paravit ad victum, quid in illa mansione perpetua non paravit? Manducabitis in Mensa mea: audisti Dei convivium; sollicitus non sis de qualitate convivii. S. Pet. Chryl. f. 95.*

### FESTUM S. ANGELI CUSTODIS.

**D**A mihi Arge, ò Angele mi, da pennam vel unam è tuis, quâ laudes tuas scribam. Sed ò! unde incipiam? ubi desinam? Nondum natus eram, & tamen jam latus stipabas meum, ò Custos unice! Infanti sinum, puero manum dedisti, ò Pædagoge amantissime! Tu verba formare, & nunc Patrem in cælis JESVM, nunc Matrem MARIAM clamare, tu nunc artes humaniores, nunc severiores docuisti, ò Doctor fidissime! Tu in bivio vitæ dubio viam Mercurius monstraisti, præisti, duxisti, insidias detexisti, in hospitium ò quale introduxisti, dux fidissime! Sed vin' compendium tuarum dem laudum? morituro quotidie aurem vellicas: irati judæis timere vultum doces: mones præcipitia infera cavere, cæli ardua digito ostendis, ad hæc expetenda cogitationibus animum adhortaris, & fatigatum manu ducis, succumbentem portas, ægrum foves, impugnatam propugnas. Illud quantum est; quòd, nisi ego te vivus, tu etiam mortuum non es deserturus. O mi



mi Arge! ô Angele mi! cur ut laudes tuas scriberem, pennam è tuis unam aliquam non dedisti? Sed eja hanc meam cape, & si placet, MAGNÆ VIRGINIS, cui uni laboravit, pedibus substerne. Ut multæ aliæ tam altum, certè altiùs nulla volaverit penna.

*Noli ô homo Conditoris tui negligere munus; noli custodis tui Angeli benevolentiam spernere, parvi pendere ministerium, suffragium abjicere, & ignorare consilium. Sta super custodiam tuam: Tibi assistunt Angeli; à dextris boni, à sinistris mali. S. Laur. Just. de vit. sol. c. 16.*